THESES SACRAE



doctrina horrida; si hi arguentes Jansenium, & ad sensum omnium Veterum accedentes, doctrinam hanc ipsam, tametsi Vetustate satis tutam, judicio Ecclesiæ Romanæ, missâ enim Legatione, humillimè subjiciunt (& quidem in ipsis terminis, quibus ea hîc carpitur) rogantes, ut si quid horrdi, aut aliter erronei, in illa contineri videatur; id summus Ecclesiæ vertex infallibili suo judicio improbare velit: Si hi, inquam, id rogant; nec tamen ipsis rogantibus, & adversariis idem omni vi solicitantibus, aliquid improbatur. Constat autem id planè in nobis accidisse.

QUINTA.

Non improvidè tamen, aut inconsultè, Vir doctus ita locutus est in materia de Ignorantia. Forticulè loquendum est, ubi tegendus defectus, quem notari nolimus. Jam dudum expectant omnes, ut Vir ille cum doctissima Schola sua, paulò disertiùs exprimat doctrinam suam de Ignorantia & inadvertentia *vincibili*. Commodum hoc ipsi fortalsè non fuit: alios invadere maluit de ignorantia *invincibili*. Sic bellum ultrò hostico inferendum, si timeamus domi.

SEXTA.

Patiatur ergò, si ultrò provocati, vicem quidem durioribus ejus dictis non reddentes, amicè tamen requiramus, ipsius cum sua Schola, hac in parte sententiam; parati vicissim respondere illi, quidquid in istis à nobis sciscitari voluerit. Non sumus ex illis, quibus novit suos ab annis aliquot respondere ideò noluisse, quòd Jansenium & Baium rejicere, Decretisque Sedis Apostolicæ simpliciter subscribere detrectarent. Istos ego rejicio, his subscribo, apertisimè, candidissimè. Jungit nos una fides, una ergà Ecclesiam & Caput Ecclesiæ reverentia; *amici* prætereà sumus, ut ipsi nobis objiciunt æmuli.

SEPTIMA.

Amicè ergò, & coram facie Ecclesiæ Catholicæ, summique ejus Capitis & Pastoris: Quid ait Vir doctus, quid ejus Schola, ad has *de ignorantia & inadvertentia vincibili* veritates, quas tanquam certissimas, & summi momenti, propugnandas suscipimus? Est cur id rogemus. Conveniet nobis fortè & in his, ut in multis aliis. Operæ pretium verò erit, etiam hîc nobis non malè convenire.

OCTAVA.

Prima inter has veritates sit: *Potest fieri ut quis peccat peccato vero, formali, & Theologico; etsi simpliciter nesciat se peccare.* Ex qua sequitur altera: *Potest fieri ut quis peccet peccato vero, formali, & Theologico; etsi actu non advertat se peccare.*

NONA.

Veritas tertia. *Potest fieri, ut quis peccet peccato vero, formali, & Theologico, etsi firmiter ac sine dubitatione judicet, se rectè facere:* imò (quæ quarta est) *etsi eâdem firmitudine judicet se teneri ita facere, adeo ut peccaturus esset nî faceret.*

DECIMA.

Quinta veritas. *Fieri potest ut peccet peccato vero, formali, & Theologico, qui Deum ita ignorat, ut simpliciter nesciat Deum esse:* adeoque & * *si actu de Deo non cogitet.* Quin etiam (& hæc sexta est) *qui Deum ita ignorat, ut firmiter ac sine hæsitatione judicet, nullum esse Deum, inane cœlum.*

UNDECIMA.

Exempla has veritates illustrantia sint. Crucifigentes Christum nescierunt (vel fingamus nescîsse) peccare se, crucifigendo illum. Occidentes Stephanum & alios Discipulos, *arbitrabantur obsequium se præstare Deo:* imò Paulus *existimabat*, se *adversus Nomen JESU Nazareni debere multa contraria agere.* Calvinista in media Antverpia vel Bruxella degens, eâ firmitudine (etsi malâ) credit sectam suam esse veram, quâ nos adhæremus Veritati Catholicæ.

DUODECIMA.

Iterùm: Ethnicus adorabat idola, cùm error ille *tanquam lex custodiretur.* Sodomita rem detestabilem faciebat, ne cogitans quidem de illius malitia, sed tantum attendens ad diabolicam & perversam operis voluptatem. Hodieque adulter tanquam equus & mulus ruit in adamatos amplexus, actu non advertens, amatam suam esse uxorem alienam, multò minùs attendens ad *iniquitatem maximam* quæ est in actu suo; sed soli intentus brutali suæ cupiditati. Denique Athei dicunt in corde suo, *Non est Deus:* atque interim *corrupti & abominabiles facti sunt in studiis suis.*

DECIMA TERTIA.

Ignorantiæ item inadvertentiæ *vincibilis* non meminimus, quia terminus ille, *vincibilis*, item *invincibilis*, nimis apud quosdam est æquivocus. Quapropter nemo se illo decipi patiatur: neque Vir Doctus quocum agimus, hâc voce in responsione uti velit; restaret enim quæstio, quænam ignorantia vel inadvertentia, secundùm ipsum sit *vincibilis* aut *invincibilis.* Notum est siquidem, apud aliquos omnem ignorantiam invincibilem dici, ubi hic & nunc non est actualis advertentia.

* *Nota Lector, has voculas Thesi X.* Si actu de Deo non cogitet, *omissas esse (studio, an aliter) à PP. Societatis in sua Responsione, quæ hic est in fine pag. 5. Videri de iis potest libellus Gallicus, nuper minimè consciis nobis editus, cui titulus:* NOUVELLE HERE[illegible]

DECIMA QUARTA.

Ceterùm mirari Lector nolit, nos talia petere à Viro Erudito & ejus Scholâ, quæ per se evidentia videri possunt. Non enim omnia sunt æquè evidentia apud omnes: exitusque probabit, non me de nihilo ista petiisse. Vir autem ipse non declinet petitionem eo prætextu, quòd non omni anni tempore proponat Theses. Poterit eruditus illius Collega aliquid addere ad suas, quas puto eum propediem habiturum. Potest ipsemet ad me manu-scriptam responsionem mittere: ego illam candidissimè publicabo, & quidem digna cum laude, si aliqualiter satisfecerit. Ita agam cum amicis: ita mecum agi desidero.

COROLLARIUM.

Qui Jansenium & Baium rejicere audet, fortior est contra excedentes in re morali: qui laxitatibus obnoxius non est, valet ille ampliùs contra Jansenium & Baium. Quid si ergo quis satagat habere utrumque?

DEFENDET JOANNES FRANCISCUS LELOZ MONTENSIS, In Collegio Baiorum, die 8. Julii 1689.

Extractum ex Thesibus apud PP. Societatis Lovanii defensis die 18. *Aug.* 1689. *quatenùs respondent ad Veritates suprà positas.*

TEmpus est ut ad lares proprios revertamur, seu tutandos seu aperiendos. Quæritur quid censeamus de quibusdam Articulis, quibus adeò fiditur, ut *veritates* vocitentur. Primus est. *Potest fieri ut quis peccet peccato vero, formali & Theologico; etsi simpliciter nesciat se peccare:* adeoque (qui secundus est Articulus) *etsi actu non advertat se peccare.* Distinguendus videtur primus Articulus. Si ita *simpliciter nesciat,* ut neque reipsâ sciat se peccare, nec sciverit, aut præviderit se fortè peccaturum, ordinariis gratiæ aut naturæ auxiliis scire id aut præscire potuerit, negatur. Si sic tantùm *simpliciter nesciat*, ut tamen vel præscierit vel præviderit peccatum, peccative periculum, vel saltem debuerit & ordinariis gratiis & naturæ auxiliis potuerit, sed noluerit præscire, conceditur peccari sic posse *verè & Theologicè.* An etiam *formaliter,* pendet ex quæstione speculativa, an qui prævidet se in ebrietate occisurum, peccet formaliter contra præceptum, *Non occides*, dum se inebriat; an dum interficit. Fieri igitur potest, ut verè peccet & Theologicè qui *actu non advertit se peccare*, *si actu advertere* dicat cognitionem præsentem, reflexam, claram, minimè fluctuantem: aliud enim est si etiam complectatur præteritam, directam, obscuram, dubiamque. Dantur enim, etiam apud nos, peccata non *puræ malitiæ.*

Videat Vir Exim. an hæc laxiora sint quam ea quæ anno 1659. 6. Nov. probavit & defendit Jacobus Pontanus Doctor Lovan. *Ut quis incurrat peccatum mortale, requiritur PLENA ET PERFECTA COGITATIO seu EXPRESSA ADVERTENTIA malitiæ, vel periculi ejus, vel saltem EXPRESSA aliqua DUBITATIO, seu scrupulus peccati. Unde à peccato excusatur qui aliquo die* ... *nihil omnino cogitans vel dubitans de jejunio in tali die: similiter excusatur*

fatur qui celebrat contractum usurarium, nullo modo dubitans vel advertens rium esse. Plura ejusmodi suppeditant nobis *acervi Thesium* aliquando ab Viro aliud agente commemorati. Quamquam & in Libris ita Lovaniensi ropam instruere solebant. Wiggerum audiamus antiquæ & pacatæ fidei logum tract. 6. de Justitia cap. 1. dub. 3. n. 18. *Judicium*, inquit, *temei sive suspiciosum hominis privati in animo residens, non est peccatum, quamdi* NON ADVERTIT *se malè judicare aut sentire de proximo: postquam autem c* ADVERTERE *saltem semiplenè, jam erit peccatum veniale nisi illud removeat* PLENAM *verò* ADVERTENTIAM *nunquam est peccatum mortale.* DOCTRINA COMMUNIS *& constat ex generalibus principiis de actibus hur* Correxit fortè *doctrinam* illam *communem* in nova Wiggeri editione Vir I Sed verendum est, ut Scholion textui prævaleat. Neque hoc tantùm f *communis* facta est doctrina illa: nota fuit & probata à duobus seculis Alm ab annis 450. Altissiodorensi. *Actus qui fit totaliter ex ignorantia invincibili nium circumstantiarum causantium malitiam, est totaliter involuntarius, & pe sequens non peccatum.* Verba sunt Almaini in Moral. cap. 4. prop. 5. Et i *Unde dicit Altissiodorensis, quod quilibet qui peccat, tenetur* SCIRE QUOD PEC VEL DUBITARE: *si ergo pro tali tempore non potest deponere illam ignorant nec tenetur dubitare an sit peccatum, talis operatio non est difformis dictamini r ergo non est mala.*

Articulus 3. qui nobis ut limpida *veritas* oggeritur, hic est. *Potest ut quis peccet peccato vero, formali, & Theologico, etsi firmiter ac sine dubitatione j cet se rectè facere: imo* (qui quartus est) *etsi eâdem firmitudine judicet se teneri ita cere; adeò ut peccaturus esset, ni faceret.* Durus est hic sermo, & terrore plenus. I catum *contra legem* nullum admittimus, si non sit *contra conscientiam*, saltem bitantem aut inquietam: nisi quis aut sibi ipsi oculos ultrò, ne malitiam vid eruerit, aut bilancem abjecerit, ne appendat. Quidquid enim est ex bona conscientiæ, peccatum non est. Demonstrandus igitur aut elucidandus est Ap rism. 4. & 5. disp. 1. Dari enim casus poterit, in quo, *conscientia errante,* N CESSARIO *& damnabiliter* PECCABITUR, & qui erit *verè perplexus*, licet ne se, nec in radice sua personaliter peccaminosus. Si enim Judex, cui traditum uni & indubitanter, vel insitum sit, eum, quem privatâ scientiâ novit innocente condemnandum tamen esse, si juridicè probatus sit nocens. Quid tunc aget Ju ille? Condemnabit? Aget contra legem naturæ. Absolvet? Faciet contra co scientiam. Utrumvis fecerit, peccabit formaliter. Nec dicat Vir Exim. eam *co scientiam vincibiliter errare*, ac *debere deponi.* Ab aliis possunt illa fortè dici, à Vi Eximio non possunt. Quomodo enim orandum judicabit novum lumen grati qui *firmiter ac sine dubitatione judicat*, se teneri reum condemnare? At fortè pe cavit, quia ante non oravit satis, & ita se in istam injecit persuasionem mala Ad hæc jam responsum est nu. 25. & 26.

Quintus Articulus nobis oppositus est. *Fieri potest ut peccet peccato ver formali, & Theologico, qui Deum ita ignorat, ut simpliciter nesciat Deum esse:* qu

etiam (& hic sextus est) *qui Deum ita ignorat, ut firmiter ac sine hæsitatione judicet, nullum esse Deum, inane cœlum.* Doctrina opinioni, quam quintus Articulu & à fortiori quam sextus continet, opposita tam communis visa est Cardinali, de Lugo disp. 5. de Incarn. n. 73. ut præter duos aut tres Theologos Ex. Viro non admodùm reverendos, dixerit vix inventum iri, qui contrarium docuerit: ipse eam propugnat fortiter, & ostendit esse S. Thomæ, S. Bonav. Alexandri Alensis, Alberti Magni, Richardi, Card. Bellarmini aliorumque passim. *Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale*, ait S. Th. 2. 2. q. 20. a. 3. Simile quid videtur dixisse Gersonius n. 21. relatus. *Nulla*, inquit, *transgressio legis naturalis aut humanæ* UT NATURALIS *est vel humana, est de facto peccatum mortale.* Tale peccatum permitteret S. Thomas *philosophicum* vocari; 1. 2. q. 71. a. 6. ad 5. dicat: *A Theologis consideratur peccatum præcipuè secundùm quod est offensa contra Deum; à PHILOSOPHO autem morali, secundùm quod contrariatur rationi.*

Neque tamen aut Card. Lugus, aut nos ad peccatum Theologicum postulamus notitiam Dei aut distinctam aut reflexam, aut reipsâ, dum peccatur, existentem aliter quam in aliquo vestigio sui. Audiatur Purpuratus Doctor ubi sup. n. 103. Objiciunt, ait, ex nostra conclusione sequi, quod multa & gravissima scelera de facto patrentur sine peccato mortali, propter inadvertentiam ad offensam Dei. Sed istam consecutionem procul à sua abigit, communique doctrina. Nam, inquit, apud Christianos vel numquam, vel rarissimè contingit, quod advertatur malitia moralis, & non offensa Dei. *Licet* enim *illa sint objecta diversa, & quorum unum possit præscindi ab alio; sunt tamen adeò connexa & subordinata, ut difficillimè, & non nisi ex industria possint separari in cognitione. Sicut Petrus v. g. & ejus vestis realiter distinguuntur: qui tamen assuefactus est videre Petrum vestitum, non concipiet illum unquam sine vestibus, nisi ex industria eum secundùm suam considerationem à vestibus spoliet. Sic in homine Christiano assuefacto concipere omnem culpam simul esse offensam Dei, & illativam pœnæ, nunquam aut ferè nunquam excitabitur species culpæ sine specie offensæ divinæ, & reatûs pœnæ qui consequitur.* Quod verò spectat ad Infideles omninò barbaros, notat à n. 106. non ignorari ab iis invincibiliter Deum longo tempore: pertinere autem ad providentiam Dei, *ut nullus infidelis adultus moriatur, donec vel cognoscat Deum, vel saltem dubitet, & culpabiliter omittat ejus inquisitionem.*

Articulos suos Vir Ex. cui respondemus, probat aut illustrat iis exemplis, quibus in eandem rem usi fuerant ante illum Theologi non adeò boni. *Crucifigentes Christum*, inquit, *nescierunt (vel fingamus nescisse) peccare se crucifigendo illum. Sodomita rem detestabilem faciebat, ne cogitans quidem de illius malitia, sed tantum attendens ad diabolicam & perversam operis voluptatem. Hodieque adulter tanquam equus & mulus ruit in adamatos amplexus, actu non advertens amatam suam esse uxorem alienam, multò minùs attendens ad iniquitatem maximam quæ e in actu suo, sed soli intentus brutali suæ cupiditati.* Non credimus animos tot Christi Lictorum fuisse omnino quietos. Signa nimis multa viderant, etiam popularia, divinitatis aut

inno-

innocentiæ, ut nullatenùs dubitarent de peccato. Alioqui si omninò *nescisse fingas* peccatum illos suum (quod reverâ *fingi* deberet) intrepidè de illis & majori ratione dicam quod Aug. 22. cont. Faustum c. 75. de alio milite, qui *sub Rege etiam sacrilego militet rectè* . . . . quia ei *quod jubetur vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est: ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Ad Sodomitam & Adulterum expedita est responsio. Ut enim daremus, aliquando Veneris furorem in amentiam tantisper desinere, non decrevit ire ad suam, præsertim primis vicibus, adulter Alcmenen, nec ad suum Ganymeden pæderastes, quin occurrat menti cogitatio vel molesta de ultore Deo, de Sacramento ruboris, de enormitate peccati &c. vel minùs incommoda de misericordia Dei, de senio ad pœnitentiam apto, de Presbytero in fine vitæ adfuturo &c. In his autem omnibus aliqua de Deo cogitatio est, sequentes etiam spurcitias Theologicè contaminatura.

Alia quæ exhibentur, exempla perpendamus. *Occidentes Stephanum & alios discipulos, arbitrabantur obsequium se præstare Deo: imò Paulus existimabat, se adversus Nomen JESU Nazareni debere multa contraria agere. Calvinista in media Antverpia vel Bruxella degens, eâ firmitudine (etsi malâ) credit sectam suam esse veram, quâ nos adhæremus Veritati Catholicæ. Ethnicus adorabat idola, cùm error ille tanquam lex custodiretur.* Sed Interfectores isti Apostolorum & Discipulorum, ultrò clauserant mentis oculos ad illa signa, quæ & Christi dignitatem manifestabant, & Servorum ejus innocentiam: considerabant unicè quæ ab odio, rabie, invidia suggerebantur. Frendebant nimirum *quia totus mundus post eum abiit*, ut notat August. Tractat. 93. in Joan. In Apostolo quoque aliquam in dispiciendis solerter, ut poterat, omnibus negligentiam & juvenilem impetum agnoverunt Viri Magni, ejusque peccata Hipponensi phrasi, *& peccata* vocant & *pœnas peccati*. Calvinista ille inter Orthodoxos vivens, vel inquirit veritatem, & securus diu non erit; vel non inquirit, & pertinax est, culpâque non caret præfidentiæ vel contumaciæ hæreticæ. De Ethnicis illis dici potest cum Sancto Thoma in 10. ad Romanos lect. 3. *Qui loquentem Dominum per se vel per ejus Discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis: non tamen beneficium Dei consequentur, ut scilicet justificentur ab aliis peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel malè vivendo addiderunt: & pro his merito damnabuntur.*

Denique, inquit Vir Exim. *Athei dicunt in corde suo non est Deus: atque interim corrupti & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Ad hæc ita nos. *Insipiens* ille factus est *abominabilis*, sive peccarit peccato tantum Philosophico, sive etiam Theologico. Peccasse autem Theologico videtur, quia cum tot circumstantia argumenta persuadere tandem possent & deberent Deum esse, id tamen non tam nescivit, quam credere firmiter & practicè noluit. Nam *non credit Deum esse, qui in tenebris & in occulto illa præsente Deo facit, quæ publicè facere præsentibus hominibus pertimescit*; ut occasione illius *insipientis* observat Sermo 243 inter Augustinianos de tempore.


Atqui

Atque hæc ſunt; quæ de ignorantia & *peccatis ignorantiæ* Viro Colenaiſſimo modeſtè reponenda nunc cenſuimus: ſeriùs quidem quàm optaſſemus; ſed hæ pagellæ quibus iſtam intexere reſponſionem viſum eſt, non poterant citiùs diſtribui & propugnari. *Hactenùs dicti PP.*

PAGELLÆ IMPLENDÆ CAUSA, AUTHOR THESIUM:

Siqui ſunt in Orbe homines, qui non aliter amicitiam ſecum coli patiantur, quàm hâc lege; ut omnia ab ipſis audire oporteat, nihil interim (etiam modeſtiſſimè) reponendo: valeant amici tam delicati; niſi fortè apud eos, quos compendii causâ delectet paraſitos eſſe, vel ſiquid paraſitis eſt abjectius.

F I N I S.



THESES AL-